

a Deo immediate mutantur istæ formæ regendi, sed a populo, seu republica; tum etiam, quia dato quod institueretur a Deo, non tamen instituitur rex ut habens potestatem spiritualem, sed solum temporalem. Et de facto in lege veteri scripta reges non habuerunt ordinariam potestatem spiritualem, nisi forte aliquis eorum tamquam propheta ex speciali Dei commissione eam exerceret, sed distinguebantur reges a summis pontificibus, nec eorum munera exercebant, unde Ozia volenti adolere incensum dixit summus sacerdos II Paralip. xxvi: *Non est tui officii Ozia ut adoleas incensum Domino, sed sacerdotum.* Nec Apostolus iussit regibus obedire in spiritualibus, sed in temporalibus, ut ita redderentur quæ sunt Cæsaris Cæsari, et non alii: et in eo sensu loquitur D. Petrus, nec in spiritualibus nos jubet subjici regibus, sed propter humilitatem id fecit, ut dicit Innocentius in capite Solitæ. Verba autem Tertulliani sufficienter intelliguntur quod reges habeant potestatem consecutam a Deo non immediate, sed mediante populo, et quod sint solo Deo minores in temporalibus non in spiritualibus.

## SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XX. Circa primum ergo arguitur ad probandum quod auctoritas ista non sit tantum in uno: Nam in primis omnes Apostoli æqualem acceperunt potestatem a Christo, nam sicut Petro dictum est: *Tibi dabo claves regni cælorum, et quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in cælis,* sic omnibus Apostolis dictum est, Matth. xviii: *Quæcumque alligaveritis super terram erunt ligata et in cælo.* Imo S. Leo papa sermone tertio anniversarii sui illum locum: *Tibi dabo claves, etc.*

ad omnes Apostolos pertinere dixit, nam verba illa proponens: « Transivit, inquit, in alios Apostolos vis potestatis istius, et ad omnes Ecclesiæ principes decreti hujus constitutio commeavit: » ergo in illo loco non continetur primatus Petri magis quam aliorum Apostolorum et sic auctoritas circa res fidei non vincitur ad unum pertinere. Idem sentiunt sancti patres, ut Cyprianus libro de simplicitate prælatorum: « Hoc, inquit, erant et cæteri Apostoli quod fuit et Petrus pari consortio præditi, et honoris et potestatis: » et S. Hieronymus libro primo contra Jovinianum: « Super omnes Apostolos fundatur Ecclesia, et cuncti claves regni cælorum accipiunt; et ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidatur. » Difficilius Clemens Alexandrinus citatus ab Eusebio, libro secundo historiæ, capite primo, inquit: « Petrus, Jacobus, et Joannes post assumptionem Salvatoris quamvis ab ipso fuerint omnibus pene prælati, tamen non sibi vindicabant primatus gloriam, sed Jacobum, qui dicebatur justus Apostolorum episcopum statuerunt. » Episcopus autem Apostolorum necessario debebat habere primatum in Ecclesia, et Chrysostomus homilia tertia in Actorum primum inquit: « Apostolos Jacobo concessisse solum. » Igitur non constat primatum Ecclesiæ in uno Petro, aut ejus successore mansisse.

XXI. Confirmatur, quia in lege veteri non fuit pontificatus supremus solum in uno, ergo neque id videtur servandum in lege nova. Consequentia patet a fortiori, nam si populus Judaicus cum esset tam exiguus uno pontifice contentus, non erat multo magis totus orbis. Item quia præcipuam rationem unitatis, et monarchici regiminis in Ecclesia ex forma legis veteris sumunt catholici, ut videre est in Bel-

larmino libro primo de Romano pontifice, capite nono. Antecedens etiam patet, nam de tempore David Sadoc, et Abiathar erant summi sacerdotes et de Sadoc patet, quia descendebat ex Aaron per familiam Eleazar, ut habetur I Paralip. xxiv, et ille præerat cæteris omnibus: Abiathar autem erat summus sacerdos, qui descendebat ab Aaron per familiam Ithamar, qui etiam cæteris omnibus præfuit usque ad Salomonem qui eum deposuit, et posuit Sadoc pro eo ut habetur III Regum II. Et fortius hoc urget, quia ut ibidem dicitur: *Domus Eleazar præerat cæteris,* et ex capite xxv Numerorum constat, quod domui Eleazar per Phinees promissum est pactum sacerdotii sempiternum, unde non potuit deficere quin Sadoc descendens ab Eleazar, et a Phinees esset summus sacerdos: et tamen invenimus Heli, et Achimelech et Abiathar tempore David fuisse summos sacerdotes, qui descendebant per Ithamar, ut habetur I Paralip. xxiv, et Abiathar fuisse summum sacerdotem constat, quia ut vidimus ab eo officio depositus est a Salomone. Ergo non fuit primatus sacerdotii in uno tantum in lege veteri, ergo neque in nova constitui debet.

XXII. Respondetur ex dictis omnibus Apostolis esse datam parem auctoritatem quasi extraordinariam et delegatam in ratione apostolatus, non tamen æqualem in ratione ordinaria potestatis ad gubernandam Ecclesiam. Quod autem dictum sit omnibus: *Quæcumque alligaveritis,* non est dictum illis, et eorum successoribus tamquam supremis potestatibus, sed ut ministris ligandi, et solvendi, dependenter tamen ab una suprema potestate cui claves istæ solvendi, et ligandi datæ sunt, scilicet Petri: unde neque in illo loco Matthæi xviii, quando dicitur *quæcumque alligaveritis, etc.* dici-

tur dari eis claves sicut Petro, sed ministerium ligandi et solvendi, quod verissimum est; patres autem qui in argumento proferuntur aperte pro nobis snnt, quia ita dicunt Apostolos fuisse pares in honore, et potestate, quod tamen habuerunt unum caput, ut unita servarentur, et schismatum tolleretur occasio, ut patet in illis ipsis verbis Hieronymi, Leonis et Cypriani, qui ibi citantur, utrumque enim dicunt ibidem. Illa autem verba Clementis apud Eusebium existimat Bellarminus non esse legenda, quod Jacobus fuit constitutus episcopus Apostolorum, sed episcopus Jerosolymorum, quod verum est, et ita habetur in editione Parisiensi 1571, in libro historiæ ecclesiasticæ.

XXIII. Ad confirmationem respondetur magnam esse difficultatem apud sacros interpretes de illis duobus summis sacerdotibus Sadoc, et Abiathar qui fuerunt tempore David. Et omnes videntur supponere tunc in rei veritate duos fuisse summos pontifices, id tamen non secundum legem ordinariam factum, nam lex omnia quæ loquitur de summo sacerdote tamquam de uno loquitur, ut Exod. xxix, Levitici xxi, Num. xviii. Idque constat ex linea, et successione summorum pontificum, qui fuerunt octoginta duo ab Abraham usque ad ultimum quando incensa est civitas, et templum tempore Titi, sicut late illos numerat Abulensis I Paralip. vi, quæst. viii, et videri potest Rodolphus lib. iv in Leviticum, cap. III; Carolus Lionius lib. v de republica Hebræa, cap. II. Cum ergo solum tempore David inveniamus simul duos summos sacerdotes, quidam existimant id non jure fuisse factum, sed injuste fundari forsitan in eo quod dicit Augustinus, libro III quæstionum in Leviticum, quæstione xxxiii in fine. Quod ex contentione conti-

git plures fuisse summos sacerdotes, quod contententibus excellentioribus litis finiendæ causa pluribus honor ipse tribuebatur, Abulensis supra 1 Paralip. cap. xxiv, quæst. xiv, existimat aequaliter factum fuisse contra legem in eo quod essent duo summi pontifices, quamquam Davidem excusat quod ipse non illos fecit, sed toleravit, quia non videbat quomodo eis auferre posset jus suum. Mendoza 1 Reg. II, num. xxxii, existimat ex divina ordinatione fuisse duos illos summos sacerdotes, quia unusquisque in suum habebat. Alii denique existimant non fuisse utrumque summum sacerdotem, sed unum se habuisse tamquam coadjutorem, aut vicarium alterius, sicque mansisse semper unum supremum caput inter sacerdotes.

XXIV. Existimo tamen juxta dicta Abulensis et Augustini contigisse tunc duos fuisse summos sacerdotes ex aliquo rationabili dubio propter quod ignorabatur, seu non plene discernebatur jus utriusque ad summum sacerdotium, quousque tempore Salomonis, ut paulo ante judicatus est Sadoc verus, et legitimus sacerdos, cui de jure competebat, sicut etiam de tempore Concilium Constantiense in illo gravissimo schismate tres fuerunt papæ simul, quorum quilibet habebat suum jus prætersum, et tolerati fuerunt sic quousque omnibus abdicatis Martinus V creatus est. Sic ergo dicendum fuisse tunc dubium de jure utriusque ad summum sacerdotium tempore Davidis, et durante illo permissos fuisse duos in titulo summi sacerdotii. Dubium autem inde ortum erat quod cum essent duæ familiæ descendentes ab Aaron, una per Eleazar, altera per Ithamar summum sacerdotium primo annexum fuit familiæ Eleazar in qua duravit usque ad tempora Sam-

sonis, ut docet Abulensis III Reg. II, quæst. xxx. Tunc autem propter peccata illorum aut ineptitudinem cessavit in filiis Eleazar summum sacerdotium ex Heli voluntate et transivit ad Heli de familia Ithamar et in linea, seu progenie Heli aliqui habuerunt summum sacerdotium usque ad mortem Abimelech, quem interfecit Saul 1 Reg. xxii, in odium David. Exinde orta est divisio eo quod Abiathar filius ejus Abimelech fugit ad David, ab eoque retentus est in officio, eo jure quia erat filius ejus, qui summo sacerdotio functus fuerat. Sadoc vero apud Saulem eo jure intravit, quia interfecit a Saule sacerdotibus descendentes ab Heli, redibat summum sacerdotium iterum ad familiam Eleazar, videbaturque habere potius jus propter pactum factum a Deo cum Phinees filio Eleazari, quod in domo ejus perpetuo maneret sacerdotium. Cum ergo David successisset Sauli, uterque istorum in officio toleratus est, quamdiu jus eorum non fuit ita clarum quamquam postea inceperit clarescere jus Sadoc quando David constituit, ut familia Eleazari præesset cæteris 1 Paralip. xxiv. Et deinde declinante Abiathar post Adoniam contra Salomonem unctus est Sadoc in pontificem 1 Paralip. xxix, tandemque executus a Salomone ejectus est Abiathar, seu declaratus non esse pontificem, sed solum Sadoc III Reg. II, quod a Davide factum fuisse erga Abiathar auctoritate prophetica, magis quam regia judicat Innocentius III epistola quadam ad imperatorem Constantinopolitanum ex qua sumptum est caput Solitæ de majoritate, et obedientia.

XXV. Quod si inquiras: Quisnam esset pontifex pro illis, qui credebant extra Judæos, et habebant veram fidem Dei, et utebantur sacramentis legis naturæ pro justificandis

parvulis; nec enim isti subdebantur sacerdotio Judæorum, et tamen non poterant veram fidem habere; ergo non obstat unitati fidei pluritas sacerdotii, et supremi capitis in rebus fidei, respondetur incertum esse quomodo in illo statu naturæ, qui valde imperfectus erat, gubernabatur ordo ecclesiasticus et religio fidei; fortasse enim in his quæ dubia erant per prophetas instruebantur homines magis quam per pontifices, erat enim tunc valde implicita fidei doctrina, nec tamen ante legem defuit sacerdotium, nam Melchisedech fuit sacerdos, et Enos cœpit invocare nomen Domini, Genes. iv. In his ergo qui extra Judæos manserunt cum cognitione veri Dei, et cæremoniis legis naturæ sacerdotium, si quod fuit permanebat in primogenitis, et quia erat lex apud Judæos diversum, quoque erat sacerdotium, quia translata lege transfertur sacerdotium, ut dicit Apostolus ad Hebræos vii. De modo autem consulendi dubia in rebus fidei, an ipsis per prophetas, vel revelationem oracula provideretur, vel alio modo incertum est, hoc tamen non obstat unitati fidei, nam illis gentilibus quibus magis explicabatur fides per revelationem extraordinariam quasi per modum prophetiæ fiebat, ut censet D. Thomas 2-2, quæst. II, art. vii ad tertium, quibus autem non fiebat ista revelatio salvabantur per fidem implicitam, et poterant consulere prophetas illos, sicut etiam apud Judæos fuerunt prophetae, etsi sacerdotes essent.

XXVI. Secundo arguitur ex capite Olim, xcv distinctione, ubi S. Hieronymus manifeste dicit superioritatem unius episcopi super presbyteros introductam esse jure positivo, seu consuetudine, non vero in jure divino, sed fuisse omnes æquales, ergo stando in jure divino non

repugnat auctoritatem gubernandi Ecclesiam, aut determinandi res fidei esse in pluribus: « Olim, inquit, Hieronymus idem erat presbyter, qui episcopus, et antequam diaboli instinctu studia, vel schismata in religione fierent communi presbyterorum Concilio Ecclesiæ gubernantur: » et infra: « Sicut ergo presbyteri sciunt se ex Ecclesiæ consuetudine ei qui sibi præpositus fuerit esse subjectos, ita episcopi noverint se magis consuetudine, quam dispensationis dominicæ veritate presbyteris esse majores, et in communi debere Ecclesiam regere. » Ergo si regimen Ecclesiæ communiter pertinet ad episcopos, et presbyteros, et solum consuetudine quadam sunt superiores; ergo et auctoritatem determinandi res fidei super alios presbyteros, vel episcopos ex consuetudine solum habere possunt; ex se autem omnes id haberent attendendo ad jus divinum. Idem habet Hieronymus epistola ad Evagrium et habetur in capite Legimus, xciii distinctione. Idem etiam videtur sentire Ambrosius in 1 epistola ad Timotheum, cap. v: « Et synagoga, inquit, et postea Ecclesia seniores habuit, quorum sine consilio nihil agebatur: » et Origenes super caput xvi Matthæi: « Petrus, inquit, et omnis qui imitator est Christi, et supra omnes hujusmodi ædificatur Ecclesia; si autem super illum unum Petrum arbitraret universam Ecclesiam ædificari, quid dicis de Jacobo, et Joanne, vel singulis Apostolis? » Confirmatur etiam ex illis verbis Actorum xx: *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei*, ubi non unum episcopum universo gregi et Ecclesiæ, sed multos regimini ejus præponit; ergo hæc auctoritas non est penes unum.

XXVII. Respondetur, quod atti-

net ad Hieronymum, ipsum pluribus in locis sensisse debere dari superioritatem in episcopis respectu aliorum sacerdotum, ut in epistola secunda ad Nepotianum, ubi dicit hoc esse modo episcopos, et sacerdotes, quod Aaron, et filii ejus erant; et in epistola ad Rusticum, debere esse in Ecclesia unum quem omnes sequantur ostendit; et in dialogo adversus Luciferianos inquit: «Quod Ecclesiæ salus in summi sacerdotis dignitate pendet, cui si non exors quædam, et ab omnibus eminens detur potestas, tot in Ecclesia efficiunt schismata, quot sacerdotes.» Cæterum licet hoc senserit Hieronymus difficile tamen est planum sensum reddere illis verbis, quæ in argumento citantur, et varie expositores in eorum explicatione torquentur. Bellarminus libro de Romano pontifice, capite VIII, dicit quod Hieronymus videtur in ea fuisse sententia, ut existimaret episcopos quantum ad jurisdictionem esse majores presbyteris de jure ecclesiastico, quod tamen est falsum. Additque Hieronymus solum loqui de particularibus Ecclesiis, non de regimine Ecclesiæ universalis. Similiter Castro libro VI contra hæreses, verbo episcopus, Hieronymus in illa sententia falli existimat, nec eum excusat nisi forte quia illa doctrina nondum fuerat in quæstionem deducta, nec ab Ecclesia definita. Cæterum in hoc plane deceptus est Castro. Quomodo enim ignotare potuit Hieronymus recentem tunc hæresim Arianorum, qui ut refert Augustinus libro de hæresibus ad Quoduuldeum, hæresi LIII, dicebant presbyterum ab episcopo nulla differentia debere discerni: Augustinus autem contemporaneus fuit Hieronymi, et ideo si Hieronymus hanc doctrinam tenuit erravit in doctrina, quæ in quæstionem fuerat mota, et ab Ecclesia de-

finita, seu in hæresim redacta, cui nullo modo fuisse Hieronymum putandum est. Unde Hieronymum ad rectum sensum interpretatur Turcremata super dictum caput Olim, xcx distinctione, quod quando dicit Hieronymum olim idem fuisse presbyterum, qui et episcopus, loquitur de appellatione et nomine, non de potestate et ordine, eodem enim vocabulo communiter censebantur, non tamen eadem potestatem habebant. Postea vero ne schismata fierent etiam in vocabulis, et appellatione distinctio facta est. Et quando dicit, quod in communi tractabantur negotia, non loquitur quantum ad prælationem, sed quantum ad Concilium tractatum, et consensum, quia multa non potest episcopus sine presbyteris et clericis facere. Et idem sentit glossa cum Hugone in capite Legimus, xciii distinctione. Denique auctor confessionis Hieronymianæ, tomo III, cap. XI, art. VII, nimis sensum Hieronymi torquet dicens episcopos, et presbyteros esse æquales quasi ex primaria intentione Christi; ex secundaria autem, scilicet ex hypothesi schismatum, a Christo distinctio facta est. Cæterum hoc modo etiam episcopi essent æquales laicis, quia ex primaria intentione nullus esset gradus superioritatis, nec Hieronymus loquitur non de eo quod a Christo de facto institutum est, cum dicit quod Ecclesiæ gubernabantur in communi a presbyteris, et episcopis.

XXVIII. Quare his omnibus relictis existimo sensum S. Hieronymi accipiendum esse ex his quæ docet epistola secunda, ad Nepotianum, et epistola ad Rusticum Narbonensem episcopum, et citatur in capite Ecce ego, xcV distinctione. Sensus ergo Hieronymi est reprehendere in duobus quorundam episcoporum arrogantiam qui volentes dominari

in clerum, nec permittebant presbyteros in Ecclesia docere, nec in negotiis Ecclesiarum se immiscere, cum tamen ab initio per eos negotia ista tractarentur, quia ut dicitur in dicto capite Ecce ego presbyteri ab initio iudices negotiorum esse mandati sunt, sicut nunc etiam videmus quod multa, quæ pertinent ad negotia Ecclesiæ, et ejus temporalem gubernationem non episcopus facit, sed capitulum. De ista ergo gubernatione negotiorum loquitur Hieronymus, et etiam de potestate docendi quando dicit quod olim idem erat presbyter, qui episcopus: et quod in communi gubernabantur Ecclesiæ, gubernatione scilicet temporalium et quoad negotia, quæ etiam in Conciliis provincialibus, aut synodalibus aliquando agitabantur, in quibus interesse debebant presbyteri, etsi non eodem modo suffragium ferre. Unde et Hieronymus ipse dicit in dicta epistola ad Rusticum cum episcopus loquens: «Dominici patromonii damna conquiritis dum soli vultis in Ecclesia potentari:» et in epistola ad Nepotianum: «Pessimæ consuetudinis, inquit, est in quibusdam Ecclesiis tacere presbyteros, et sedentibus episcopis non loqui quasi eis invideant.» Igitur quia forsitan ex communi illa gubernatione episcopi, et presbyterorum aliqua occasio schismatum oriebatur, introducta est major aliqua episcoporum superioritas in regendis Ecclesiæ negotiis, et patrimonio, qua postea episcopi aliqui abutebantur, contra quos Hieronymus invehitur, quasi id habeant ex Ecclesiæ consuetudine, non ex determinatione divina. Verum est aliquando velle eos æquiparare in nomine, et appellatione presbyteri, quasi idem sit presbyter, quod senior, sicque illud nomen convenire episcopis, ut capite Legimus, xciii distinctione; sed hoc non obstat nos-

tro proposito. Idem etiam est sensus verborum Ambrosii. Origenes autem magis loquitur secundum sensum mysticum, quam litteralem. Ad confirmationem respondeo Apostolum dicere in plurali episcopos regere Ecclesiam Dei, quia includit, et supremum caput, et reliquos principaliter gubernantes, qui sunt vocati in partem sollicitudinis habentque suas peculiare Ecclesias, licet non in plenitudinem potestatis respectu totius Ecclesiæ: sicut si diceremus exercitum regi a ducibus, non proinde excluditur supremus dux.

XXIX. Tertio arguitur: Nam si esset necessaria ista suprema auctoritas in uno maximo ut servaretur unitas Ecclesiæ ratione unius capituli; sed ad hoc non requiritur: ergo minor probatur primo, nam Ecclesia habet unum supremum caput quod est Christus; pontifex autem, et episcopi sunt ejus vicarii in terris, sed in aliqua monarchia sufficienter salvatur unitas ratione hujus supremi regis, licet ejus vicarii, et proreges multi sint, quorum singuli habent in suo vicariato independentem potestatem, ergo licet ad salvandam unitatem Ecclesiæ sit necessaria unitas capituli supremi, non tamen exigitur unitas in eo qui gubernat tamquam vicarius hujus capituli. Secundo, quia Ecclesia, seu regimen ecclesiasticum diffunditur per totum mundum, sicut et regimen politicum: sed sufficienter providetur regimini politico per hoc quod sint plures reges pro diversis regnis, quorum unus ab alio non pendeat; ergo sufficienter etiam providetur regimini ecclesiastico si sint plures potestates supremæ, puta plures archiepiscopi, vel primates, quorum singuli in suis provinciis habent independentem auctoritatem et supremam in gubernatione Ecclesiæ, et determi-